OCTAVIVS DEL ROSSO

DEI AC S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPVS VOLATERRANVS

SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS ET COMES PALATINVS

Venerabilibus, Archidiacono, Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, dilectiſque omnibus & ſingulis ex Clero, Salutem in Domino.

A Apoſtolicum Eccleſiæ noſtræ regimen, & Nobis commiſſi Gregis ſollicitudo non negligenda, mentem & conſcientiam noſtram adeò exagitat, ut ſuperni Patrisfamilias Iudicium in dies magis magiſque reformidemus. Siquidem in Cathedra hac, velut in ſpecula quadam conſtituti, tamquam poſiti Cuſtodes domui Iſrael, ob miniſterium noſtrum explendum, diù noctùque Cœleſtis tubæ clangoribus ad vigilias & ad labores excitamur; ne, ſuffragante Paſtoris ſomno, occultis Luporum inſidijs, qui aſſiduos in ovile Dominicum moliuntur incurſus, invadendi in Gregem præbeatur occaſio; neve, ſæviente pelago, naviculam ſimul & navigantes decumanis fluctibus procella involvat; ſi qui Gubernaculo præeſt manus remiſerit, & laborem. Ne maiori igitur omiſſionum pondere gravetur animus; quia nomen tenemus operis, non honoris, quò felicius cæcos ac claudos compellere valeamus ad Patriam, Ovile Noſtrum, Paſcùa, & Oves ite-

rum viſitare ſatagimus. Vrget enim ſuſcepti muneris ratio; urget Paſtoralis cura; urgent Sacroſancti Tridentini Concilij Decreta; urget amor, quo ductus providus ille Paſtor, relictis nonaginta novem ovibus in deſerto, proſilijt anxius, ovem, quæ perierat, quæſiturus; urget & timor, ne, ſi quid de Ovili Dominico, ob conniventis excubitoris incuriam, deperierit, Nobis, quibus totam negotij molem commiſit, Dominus ſit aſcripturus.

Proinde, nobiles Animarum Cuſtodes, qui in partem Paſtoralis ſollicitudinis unà Nobiſcum vocati eſtis, iterum veniemus ad vos, ac ſedulò diſquirèmus; quæ circa oves veſtras cura, qui circa Paſcua delectus, quæ circa teneros fœtus ſolertia, quæ, circa morbidas & ægrotantes, præſentia adhibeantur remedia. Idcircò conſulite rebus veſtris; à Nobis enim totius Procurationis veſtræ ratio repoſcetur; nec erit excuſationi locus, ſi Lupus comederit oves, & ignoraverit Paſtor. Quò autem ipſis ovibus abundè proſpectum ſit, circa duces earum in ea ſententia ſumus, ut fortiori ſint medela curanda, ſi quæ adhuc vulnera cicatricem non obduxerint; quia imperitus eſt ille medicus, qui tumentes vulnerum ſinus diù manu parcente contrectat, & in altis viſcerum receſſibus virus exaggerat. Perperam difficilis & ancipitis viæ, ſub cæco duce, felix ſperatur progreſſus; & fruſtra in rivis aquarum nitor expetitur & ſalubritas; ſi fons, à quo diducuntur, limoſus fuerit & infectus. Quapropter, conſiderantes dignitatem veſtram, periculum quoque ob oculos ponite: Siquidem omnes, qui curæ veſtræ commiſſi ſunt, quique tamquam ſidera errantia in tenebris ambulant; ab unoquoque veſtrum, veluti à luminis fonte, emendicant lucem. Veſtrum eſt, errantes in viam ſalutis reducere, deceptis verita-

rita-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum viſitare ſatagimus. Vrget enim ſuſcepti muneris ratio; urget Paſtoralis cura; urgent Sacroſancti Tridentini Concilij Decreta; urget amor, quo ductus providus ille Paſtor, relictis nonaginta novem ovibus in deſerto, proſilijt anxius, ovem, quæ perierat, quæſiturus; urget & timor, ne, ſi quid de Ovili Dominico, ob conniventis excubitoris incuriam, deperierit, Nobis, quibus totam negotij molem commiſit, Dominus ſit aſcripturus.

Proinde, nobiles Animarum Cuſtodes, qui in partem Paſtoralis ſollicitudinis unà Nobiſcum vocati eſtis, iterum veniemus ad vos, ac ſedulò diſquiremus; quæ circa oves veſtras cura, qui circa Paſcua delectus, quæ circa teneros fœtus ſolertia, quæ, circa morbidas & ægrotantes, præſentia adhibeantur remedia. Idcircò conſulite rebus veſtris; à Nobis enim totius Procurationis veſtræ ratio repoſcetur; nec erit excuſationi locus, ſi Lupus comederit oves, & ignoraverit Paſtor. Quò autem ipſis ovibus abundè proſpectum ſit, circa duces earum in ea ſententia ſumus, ut fortiori ſint medela curanda, ſi quæ adhuc vulnera cicatricem non obduxerint; quia imperitus eſt ille medicus, qui tumentes vulnerum ſinus diù manu parcente contrectat, & in altis viſcerum receſſibus virus exaggerat. Perperam difficilis & ancipitis viæ, ſub cæco duce, felix ſperatur progreſſus; & fruſtra in rivis aquarum nitor expetitur & ſalubritas; ſi fons, à quo diducuntur, limoſus fuerit & infectus. Quapropter, conſiderantes dignitatem veſtram, periculum quoque ob oculos ponite: Siquidem omnes, qui curæ veſtræ commiſſi ſunt, quique tamquam ſidera errantia in tenebris ambulant; ab unoquoque veſtrum, veluti à luminis fonte, emendicant lucem. Veſtrum eſt, errantes in viam ſalutis reducere, deceptis verita-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE